

1445 Montem Laureum confederat. Eam injuriam aliquandiu ille passus, novissime undique viribus contractis, ad hostem contendit, quem ingenti prælio victum castris exiit. Hæcque toto fere triennio. Quarto vero Picæni belli anno, quum sub vernum tempus Picininus & Alphonsus bellum reparassent, ille ad Montem Milonem a Ciarpellione victus est. Alphonsus non contentus terrestres copias in Eugenii gratiam comparasse, octo quoque triremes instruxit, quibus Sforzia mari quoque fatigaretur. Ad eam triremium famam Veneti (ut quidam annales habent) & ipsi navigia aliquot ad bellum compararunt, ut Ravennatum oræ præsidio essent. Premebatur itaque Sforzia terra & aquis: dum Philippus per Franciscum Landrianum Picininum ad se vocavit, quasi de ratione belli cum eo locuturus. Interim Franciscus ejus filius, cum copiis in Picæno relictus, ad Montem Vulmeum a Sforzia victus, castris, majoreque copiarum parte amissa, cum Cardinale Firmano in castris Legato, multisque aliis in Sforciæ potestatem venit. Fuerunt ea tempestate, qui crederent, Philippum voluisse ita evenire, quod Picinini copiarum delerentur, ut Sforzia gener præsentis bello levaretur; unde intelligi potest, verissimos fuisse rumores illos, qui temere in vulgus exierant: Sforciam jam antea cum socero in gratiam rediisse, ac cum eo in Venetos occultum fœdus percussisse. Nec Picininus ad ejus cladis nuncium dolorem suum dissimulavit, Philippum identidem clamitans, nihil sibi præter vitam reliquisse: jam illud unum superesse, ut in eam quoque, si vellet, grassaretur: atque ita præ nimio dolore in morbum lapsus, prudentissimus omnium sui sæculi imperatorum, paucis diebus dum Mediolani adhuc esset, expiravit. Sforzia Franciscum Picininum Philippo petenti ex custodia relaxavit. Cum Pontifice quoque pax secuta est, quum multa adhuc Picæni agri oppida Sforzia, multa quoque Eugenius teneret. Sub id tempus Ciarpellio, vir militari gloria insignis, ab Alexandro Sforciæ fratre, tanquam is qui ad Philippum fugam medicaretur, laqueo necatus est. Quinto deinde anno,

*Franciscus
Picininus,
absente Patre,
copiis
exiit.*

*Nicolaus
Picininus
Mediolani
vita docet.*